

Judicium & Decretum
Universitatis Oxoniensis
Latum in Convocatione habita

Jul. 21. *An.* 1683.

Contra quosdam Perniciosos Libros & Propositiones Impias, quæ Capitibus sacratissimorum Principum, eorum Statui & Regimini, & omni Humanæ Societati exitium intentant.



E Theatro Sheldoniano, 1683.



JUDICIUM & DECRETUM.

UNIVERSITATIS OXONIENSIS

Latum in Convocatione habita

Jul. 21. An. 1683.



Uanquam parricidale facinus in Sacrum ſereniſſimi Principis & illuſtriſſimi Fratris ejus caput nuper deſignatum, omnem noſtram ſollicitudinem depoſcat, qua tam flagitioſum nefas Deo pariter & hominibus inviſum, debita deteſtatione proſequamur; & dignas clementiſſimo numini gratias reddamus, cujus ſingulari providentia comparatum eſt, quod ſpiritus oris noſtri Chriſtus Domini non ſit captus in laqueis ipſi poſitis, ſed in umbra ejus nobis etiamnum vivere & ſuperſtites eſſe contigerit: Partium tamen noſtrarum eſſe ducimus altius mentis aciem defigere in impia illa Dogmata, quæ nuper ſummo ſtu-

dio in publicum ſparſa, nefariis iſtis molitionibus cauſas & fomenta dedere; eademque juſtis cenſuris ſubjicere publicoque decreto damnare & confodere.

Itaque ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, & ad Catholicæ Doctrinæ veritatem in Eccleſia conſervandam; porro ut Regia Majeſtas non ſolum a perduellium hoſtiumque, ſed quorumcunque Schiſmaticorum inſidiis ſarta tecta maneat, frequenti Convocationis Senatu die Julii 21. An. 1683, nos Vice-Cancellarius, Doctores, Procuratores, Magiſtri Regentes & non Regentes, more & loco conſuetis convocati; unanimi conſenſu & aſſenſu ſuper quibuſdam propoſitionibus quæ in libris ſcriptiſque tam idiomate Latino quam Vernaculo publice editis atque evulgatis continentur; quæque non ſolum Divino Canoni, Decretis Conciliorum, ſcriptis Patrum, & primitivæ Eccleſiæ fidei & profeſſioni repugnant & contrariantur; ſed inſuper Monarchicum regimen, Perſonam ſacratiſſimæ Regiæ Majeſtatis, pacem publicam, & naturæ ipſius Leges & humanæ ſocietatis vincula ſubruunt & convellunt; Decrevimus in formulam ſubſequentem.

Propoſitio 1. Populus eſt fons & origo Poteſtatis omnis civilis.

2. Inter Principem & ſubditos pactum ſemper vel expreſſum vel tacitum intercedit, & ſi Princeps deſit officio ſuo, ſubditi pactione ſua non amplius obligantur.

3. Si

3. Si juſta & legitima poteſtas migret in tyrannidem, aut ſecus geratur quam ex lege Divina & humana oportet; amiſſo omni jure ad imperandum, abrogatur.

Lex Rex. Buch. de jure Regni apud Scotos. Vindiciæ contra Tyrannos. Bellarmin. de Conciliis & Pontifice. Dolman. Milton. Goodwin. Baxt. R. S.

4. Suprema apud Anglos poteſtas eſt trium ordinum, *viz.* Regis, procerum, & plebis. Rex coordinata tantum poteſtate præditus, reliquis minor.

Lex Rex. Hunton de Monarchia limitata & mixta. Baxter. Polit. Cat.

5. Nec primogenitura, nec ſanguinis proximitas jus ad regnum conferunt, licetque proximum hæredem à ſucceſſione in imperium prohibere.

Lex Rex. Hunt Poſtſcr. Dolman. Hiſt. Succeſſ. Julian. Apoſt. Mene Tekel.

6. Licet ſubditis non modo non conſentiente, ſed prohibente ſupremo magiſtratu in ſui & religionis defenſionem inire ligas, paciſci fœdera, conjurataſque aſſociationes conflare.

Solennis Liga & Fœdus. Nupera aſſociatio.

7. Sui conſervatio eſt primaria & fundamentalis naturæ lex, omniumque aliarum legum cum iſta pugnantium obligationem tollit.

Hobbeſius de Cive. Leviath.

8. Doctrina Evangelica de tolerandis injuriis non prohibet vi & armis reſiſtere Magiſtratui Religionem violenter oppugnanti.

Lex Rex. Julian. Apoſt. Apologet. Relat.

9. Christiani non tenentur ad obedientiam passivam, quoties Princeps contra leges & jura Reip. aliquid imperat; atque primævi Christiani ea tantum de causa pati quam resistere maluere, quod religio Christiana nondum esset Imperatoriis legibus sancita.

Julian. Apost.

10. Possessio & potentia conferunt jus Imperii: (*a*) cujusque causæ bonitatem & æquitatem indicat & confirmat successus, quem urgere est Divinæ voluntati obsequi & providentiæ ductum sequi. (*b*)

(a) *Hobbesius.* (b) *Owen concio coram Regicidis*, Jan. 31. 1648. *Baxt. Jenkyns. Libel. supplex Octobr.* 1651.

11. Secundum naturam nullum est boni malique, nullum justi & iniqui discrimen; & status naturæ est status belli, in quo cuilibet jus competit ad omnia.

12. In hoc jure naturali fundatur jus civile, singulis cum societatem ineunt, jure suo magistratui cedentibus, qua cessione magistratui non tam datum quam relictum est jus suum naturale. Nec modo peregrinus hostis, sed & rebellis domesticus in statum naturæ redit, & puniendus est non jure civitatis, sed jure belli; *& proinde perduellione sua par jus in vitam Principis consequitur, atque Princeps in vitam sui subditi atrocissimo scelere damnati.*

13. Etiam societate inita cuilibet manet jus semetipsum contra vim qualemcunque defendendi; nec potest in Remp. consentiens, jus illud ullo modo in Rempublicam transferre. Quod si magna vis hominum ita dudum obstiterit magistratui, ut ex lege singuli mortem metuant, continuo licet illis junctis viribus se tueri; & vis ista quæ primam officii violationem subsequitur, li-

cet

cet eam tueatur, non tamen peccat de novo, & si ad vitæ conservationem dirigatur, non peccat omnino.

14. Juramentum nihil superaddit obligationi quæ oritur ex pacto, pactumque eatenus obligat, quatenus fides habetur promittenti. *Quocirca si Princeps quovismodo indicet se subditis fidelitatem promittentibus non credere, illi hoc ipso subjectione liberantur, neque obstant pacta & juramenta quo minus jure contra Principem insurgant, eumque regno & vita exuant.*

Hobbesius de Cive. Leviathan.

15. Si populus officio & juramento Principi obstrictus, illum regno nefarie & injusta vi deturbet, & contra fidem & religionem sacramenti sui, cum alio fœdus faciat, potest hic populus, pactione prima insuper habita, posteriore teneri.

Baxter. R. S.

16. Juramentum omne illicitum est, & Verbo Dei contrarium.

Quaker.

17. Obligatio juramenti non ex intentione deferentis, sed suscipientis æstimanda est.

Vice-comitum Londinensium causa.

18. Dominium fundatur in gratia.

19. Potestates seculares Jesu Christi prærogativam usurpant, & oportet populum Dei illas omnes exterminare, ut Christo regnum deferant, eumque collocent in solio suo.

Quintæ Monarchiæ assertores universim.

20. Regimen Presbyterianum eſt ſceptrum regni Jeſu Chriſti, cui reges perinde ac ſubditi ſemet ſubmittere tenentur; & poteſtas Regia in cauſis Eccleſiaſticis quam aſſerit Eccleſia Anglicana, eſt Chriſto contumelioſa, qui ſolus eſt Rex & Caput Eccleſiæ ſuæ.

Alare Damaſcenum. Apologet. Relat. Hiſt. Indulg. Cartwright. Travers.

21. Non licet Principibus in cultu Divino præcipere quod non eſt antecedenter neceſſarium.

22. Scandalum infirmorum tollit omnem auctoritatem humanam condendi leges de rebus adiaphoris.

Conciliator Proteſtantium.

23. Tyranni & impii Principes morte multandi ſunt; quod ſi Judices & inferiores Magiſtratus officio ſuo deſint, jus gladii redit ad populum, quo ſi major pars uti nolit, Paſtores & Miniſtri Eccleſiaſtici debent Principes Satanæ tradere, & poſt ſententiam Excommunicationis latam, quibuſlibet ſubditis licebit eos occidere, eodem jure quo ſubditi *Athaliam*, & *Jehu Jezabelem.*

Buchanan. Goodman. Knox. Gilby. Jeſuitæ.

24. Populo Dei etiam poſt conſignatum Scripturæ canonem, in omni ævo novæ Revelationes ſunt expectandæ, ad quarum normam actiones ſuas dirigant vitamque componant, (*a*) & privatus quilibet à Spiritu Sancto inſtigatus, jure poteſt occidere Tyrannum. (*b*)

(a) *Quak. & alii Enthuſ.* (b) *Goodman.*

25. Exemplum *Phineazi* nobis eſt pro præcepto; quod enim ſemel probavit Deus & præcepit, illud perpetuo & ubique obliget neceſſe eſt.

Goodman. Knox. Naphthali.

26. CARO-

26. *CAROLUS* primus jure cæſus eſt, ejuſque percuſſores in generatione ſua gloriæ Dei inſigniter ſerviebant.

Milton. Goodwin. Owen.

27. *CAROLUS* primus Parliamento bellum ultro intulit, quo in caſu licuit illi reſiſtere, utpote jam privato, & qui Regia Majeſtate prorſus excidiſſet.

Baxter.

Has Propoſitiones omnes & ſingulas eſſe falſas, ſeditioſas, impias; pleraſque inſuper hæreticas, blaſphemas, Religioni Chriſtianæ infames, & Politiæ Civilis & Eccleſiaſticæ ſubverſivas ſtatuimus, decernimus & declaramus.

Porro Decernimus libros in quibus prædictæ propoſitiones & impia Dogmata occurrunt, aptos natos eſſe bonos mores & hominum imperitorum mentes corrumpere, ſeditiones atque tumultus concitare, ſtatum Regnorum evertere, atque ad rebellionem, parricidia & Atheiſmum manuducere. Et proinde Scriptorum iſtorum lectione Togatos omnes arcemus ſub pœna juris.

Inſuper ſupra nominatos libros in area Scholarum noſtrarum manu infami flammis comburendos decernimus.

Porro ordinamus ut ad perpetuam rei memoriam hæc noſtra Decreta non modo in Acta Venerabilis iſtius conſeſſus referantur, ſed etiam eorum Apographa ſingulis Collegiis & Aulis intra hanc Univerſitatem communicata; in eorundem Bibliothecis, Refectoriis, aliiſve locis maxime idoneis, ubi ab omnibus ſpectari & legi poſſint, publice appendantur.

Demum præcipimus & firmiter injungimus omnibus & ſingulis Prælectoribus, Tutoribus, Catechiſtis, aliiſque omnibus quibus Academicæ juventutis inſtitutio concreditur, ut curæ & fidei ſuæ commiſſos ſedulo inſtruant & ſtabiliant in neceſſario illo Chriſtianæ pietatis capite, quod Eccleſiæ Anglicanæ teſſera & character audit; ut ſubjecti ſint omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus ab eo miſſis, ob vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quod quidem obſequium, liquido, abſolute & ſine effugiis præſtandum eſſe doceant; moneantque inſuper ex præcepto Apoſtoli, primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſervatore noſtro Deo; & ſpeciatim, ardentiſſimis juxta & aſſiduis precibus ad Gratiæ

thronum

thronum venerabundi provolvantur, pro ſalute ſereniſsimi Regis noſtri Caroli, ut ab omni graſſatorum inſultu & perfidorum machinationibus tutus & inviolabilis uſque permaneat; fideique defenſor a Deo ſuo pariter defenſus, ſera & beata Immortalitate perfruatur.

FINIS.
